

mam in aqua permanente, qua per vices ipsum tingite, deinde in sole desiccate. Demum prædictæ redditæ aquæ, & niger tyrius color intenditur. Et scitote quod vos non tingitis purpureum colorem nisi frigido. Accipite ergò aquam quæ est, de frigoris natura & in ea lanam decoquite, donec tincturæ vim capiat ab aqua. Et scitote quod illam vim, quæ ab illa exit, aqua, florem philosophi nuncupaverunt. Propositum vestrum ergò sit illa aqua, in ea ponite quod in vase est per dies & noctes, donec pretiosissimum tyrium vestiatur colore.

Sermo decimus quintus.

FRICTES *inquit:* omnes sapientiæ investigatores, scitote quod huius artis fundamentum propter quam multi perierunt, Vnum quid est, quod omnibus naturis fortius, & sublimius apud philosophos, apud insipientes verò est omnium rerum vilis quod nos veneramus. Heu vobis omnibus insipientibus quam ignari estis huius artis pro qua moreremini si sciretis. Et iuro vobis, quod si reges eam scirent, nemo vestrum Unquam ad eam perveniret ò natura hæc qualiter vertit corpus in spiritum. O quam admirabilis natura, qualiter omnibus imminet ac omnia superat. *Ait Pythagoras.* Frictes nomina eam *Et ille.* Est acetum acerrimum, quod facit aurum esse merum Spiritum sine quo aceto, nec albedo nec nigredo, nec rubor nec rubigo fieri potest. Et scitote quod cum corpori, miscetur, & continetur, & Unum fit cum eo vertit ipsum in spiritum, & spiritali, tingit tinctura invariabili quæ deleri non potest. Et scitote. Quod si ponis corpus super ignem absq; aceto comburitur, & corrumpitur. Et scitote quod humor primus est frigidus Cavete igitur ignem qui inimicus est frigori. Ideoq; dixerunt sapientes suaviter regere, donec Sulphur fiat incremabile. Huius autem artis, dispositionem, rationem habentibus iam sapiens demonstravit eorum autem artis quæ dixit, optimū est quod parum huius sulphuris, forte corpus comburit. Ideoq; ipsum venerantur, & describunt, in initio libri eorum quod filius **ADE** sic descripsit. Quoniam hoc acetum corpus comburit, & in Cinerem vertit, quod & corpus de albar, quod si bene coquitis ac nigredine privetis, in lapidem vertetur & fiet nummus intensissimæ albedinis. Coquite ergò lapidem donec diruatur, demum solvite ac maris aqua temperate. Et scitote quod totius operis initium est dealbatio cui rubor succedit. Demum operis perfectio, post hæc autem per acetum

NUM

*Acetum
Sulph.*

*Albedo
Rubedo.*